

Non videat, quodd erat Calicem porrigere. Subitò amotus ab Angelo est, & Sanctum Calicem Angelus Pontifici porrexit. Tunc universi Sacerdotes cum Populo coeperunt timere, & horrere, videntes Sanctum Calicem à femeripso inclinatum ab ore Pontificis, & iterum in aère se super Sanctum Altare recipi. Intentio magna valde in populo adcrevit. Alii dicebant, non Levita dignus. Alii adfirmabant, non, sed visitatio cœlestis. Et tam diutissime Angelus juxta Sanctum Virum stetit, quousque expleta fuissent solempnia Missarum. Non post multum temporis, *benedixit* (1) filiis suis Ravennenses Cives, cum alacritate, quasi ad dapes *invitatus*, (2) alacri vultu dies cum vita finivit Non. Junii. (3) Sepultus est in prædicta Sancta Martiris Basilica post Altare, in quo loco, ubi Angelum stantem vidit, effigiemque ejus super Sedilia depictam quotidie conspiciamus; apparatusque fuisse tenui forma, & nigri capilli, paucos canos; sed sanctitatem ætatem superavit, quia cœlestis Dominus plus mentes, quam ætates comprobatur. In sensibus fides geritur, non in annis. Et ad ejus effigiem infra orbita intus in Ecclesia Ursiana per omnem noctem, usque quo suffixa Ecclesia renovata est, clari luminis candela fulgebat. Ego enim fratres, sicut promisi, in quantum valui, favente Deo, istius Vitam finivi. Modò S. Petrum Chrysologum ipsam successorem intromittam.

## CAPUT OCTAVUM.

*Auctoris ad vitam S. Johannis meditationes.*

**T**Amen cui assimilare possumus Beatissimi Vitam Johannis si requiramus, cum multis Patribus. Si vestris placet obtutibus non *respicite*, (4) & si fortè sefellero, indulgete; hæc enim dico ad vestri ædificationem animi. Homines sumus, & humanis casibus subjacemus. Propheta ergo videns nos carne indutos fragili in noxa istius gurgitis volutari, exclamans ait; *omnis homo mendax*. Sed palàm (5) vobis veniam peto, non *parvitate* (6) tumida, sed humilitate plena. Hunc enim Virum forsitan cum Jacob Patriarcha similare poterò? Quando Jacob Angelum tenuit, & non ire finivit, dixit illi Angelus; *dimitte me aurora est*. Qui respondit; *non dimittam, nisi benedixeris me; & in eodem loco Angelus benedixit eum*. Huic enim non benedixit Angelus, sed Corpus Domini cum Sanguine dedit. Oh mihi in parte ultima vitæ, quis tale sanctificatum Corpus, & Sanguinem Christi dedisset, ut quod meritum non sum accipere in Vita, utinam in egressione animæ fuisset! Imitavit Vir iste David (7).... Angelum cædentem Populum extendisse manus super Hierusalem ait; *obsecro Domine vertatur manus tua super me*. Et iste à Rege, cum requisitus fuisset, quid vellet, manifestatus est, & pro suis ovibus desiderat mortem. Tunc Rex pacem, quam Pontifex petierat, largivit; David propter sua peccata, quia præsumpsit numerum obtinere, quem Deus ut arena multiplicaverat maris..... Hic autem Rex expugnaturus erat Civitatem propter peccata Populi, quia aliquanti tepidi erant fidei, sed Sancti Viri orationibus istius, & Regem mitigavit,

**A** & Dei misericordiam ad se inclinavit. Alio assimilabitur Viro Tobie nomine, ad cujus nuptias Raphaël Angelus missus est, & ut imitaret Patrem, & vitum redderet. Istum verò & visitavit, & sui Ministri vicem peregit. Zacharias denique ille magnus Sacerdos, cujus filius in adventu Domini nostri Jesu Christi non solum æquiparavit Prophetas, sed omnibus præcessit, quem ante Deum Sanctum Evangelium justum commemorat, Angelum intuens mutus effectus est. Ille Angelicam contemplatus effigiem hilaris, & lætus permanit. Quare hoc? Quia Zacharias dubium se credidit habere filium, eo quòd frigerat sanguis, & processerat in diebus multis. Et si dubius fuit de cœlesti nuncio, quomodo eum Evangelista justum commemorat? ait enim de Zacharia, & Elisabeth; *erant ambo justi ante Deum*. Quid est hoc? Quomodo potest fieri? Dicat David; *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Audi & Job, *ecce enim Cœli non splendent, & Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Petrus autem, qui in Cœlo, & in terra potestas solvendi, & ligandi data est, & claves Regni Cœlorum traditæ sunt, dicit; *exi à me, quia homo peccator sum*. Et si Apostolorum Princeps se peccatorem comperit, (8) quomodo Evangelista *conubium dictum*, (9) justum commemorat ante Deum esse? Veniat Manasses, dicat cum Evangelista, Abraham, Isaac, & Jacob, (10) qui non peccaverunt tibi. In hoc loco ideo femini dixit, idest Christo, non feminibus, juxta quod dictum est Abraham; *in semine tuo benedicentur omnes Tribus terræ*. Semini in unum, feminibus in multis. Ante Dei, namque oculos nullus liber invenitur, sicut ait Salomon; non enim est homo super terram, qui faciat bonum, & non peccet. Ante conspectum Divinæ Majestatis terribiles visiones sunt; ibi enim Angeli tremunt, Archangeli metuunt, pavent Throni, terrentur Dominationes, ruunt Potestates, formidant Principatus, commoventur Virtutes Cœlorum, pertimescunt Justi, Terra fugit, Elementa quassantur. Et homo, qui ex inquinamentis natus, insuper peccati servus, quomodo justificabitur? Audi Job; *quis potest ante eum apparere mundus natus de muliere?* Charitati vestræ peto mihi indulgentiam, vel etiam veniam modicam concedite, quia hodie fatigatus ex humanis negotiis, sed gravatus somno, non corpus refocillavi. Non vobis gravis appareat de istis questionibus, quia, largiente Domino, si vita comes fuerit, crastina explicabo. Et si aliqua intercesserit dilatio, & citius nodum questionis non solvero, sanctum imitamini Evangelium, sicut ait; *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Non me judicate ut inscium; Nisi dilator. Sed Zacharias quomodo justus? Aut quomodo David eructuans; *nullus vivens ante Deum justificatur?* Aut quomodo Manasses dicens; *Abraham, & ceteri, qui non peccaverunt tibi Domine?* Aut quomodo Moyses intonans ait; *Dominator Domine Deus misericors, & clemens, nullusque apud te per se innocens est*. In posteris verbis explicabo: quid multifaria necesse est, quàm istius, qui ex Ægypto plebem duxit, qui manna Populum

(1) benedixit. Mur.

(2) invitans. Mur.

(3) Obiit circa annos Domini DLXIX. Bacch.

(4) respicite. Mur.

(5) omnibus. Mur.

(6) protervitate. Mur.

(7) sicut audituri estis. Cum vidisset autè David. Mur.

(8) conspexit. Mur.

(9) Sacerdotem conubio junctum. Mur.

(10) & femini eorum, justum Abraham, Isaac, & Jacob.

Mur.